

G.K. 408,8.
403.

EXECRANDIS
NOMINIBUS

II n
3861

CONRADI
JASTRAMI,

X 1903356

Et

HIERONYMI
SNITQUERI,
SACRUM.



M DC LXXXVII.



Huc mala verba
V I A T O R

*Hamburgensium
saluti*

*extrema imminent:
Foris illos Hostis terret;
Domi Rebelles confundunt:*

*utrinque
nil nisi Insidiae, Discordiae,
Fraudes & Mendacia:
scelus inauditum!*

*quod
stupescunt caelites intentum,
gaudent mortales detectum!*

TU VIATOR

Vide, Lege, Luge!

I.
**JASTRAMUS RE-
BELLIS.**

* *
*

ABI VIATOR!

Satis jam legisti.

Redi Viator!

Percipe plura quam legisti.

Hic enim Tibi sistitur

Conjuratōnis fax & tuba

CONRADUS JASTRAMUS.

Qui

In prima jam juventute

Ostendit se qualis erat;

& visus est, qualis esset futurus:

Animo, Spe, Judiciis,

Malus, Pejor, Pessimus:

ut

non immerito praesagire possent

Parentes

se

Natricem Patriæ,

Phaëtontem toti Circulo Saxoniae

nutrire!

Pater tinctor erat.

Tingere tamen mores non poterat:

A ij

Niger

Niger enim erat !
Paternum ille reassumfit opificium,
Tinctorque similiter factus,
sordidus quidem sed callidus:
Suam enim nequitiam magis
quam pannos
colorare didicerat :

Hinc
Eo prolapsus superbiæ
ut Regiam Purpuram
ex Hamburgensium sanguine
tingere præsumeret.
sed misero πολυπράγματι

Colores sui exaruerunt :
Tu discite VIATOR !
Omnia hic confundi
ubi
Sutor ultra crepidam.

II.
**SNITQUERUS
FACTIOSUS.**

* *
*

Sed
In hoc fallaciarum Circulo
Centrum erat duplex:
alterum JASTRAMUS,
alterum

HIERO.

HIERONYMUS SNITQUERUS,

Qui

Si genus spectes,
Videbatur esse quantivis pretij,

sed

Hæres quidem erat paterni Nominis,
non verò Virtutis.

Hic enim Integritate, ille versutia,

Hic Candore, ille nequitia,

Hic Fide, ille perfidia,

facile

Antecedebat, Anteibat, Superabat
omnes:

Corpus illi erat

robustum, nervosum, carnosum:

Atlantem hunc dixeris,

Qui Orbi, quid dicam! Urbi
portandæ sufficeret;

Non tamen inutile erat

Robur insigne

ad tantam molem cui humeros subdiderat.

Non minoris enim est

ædificatam Civitatem diruere,

quam novam ædificare.

Animus illi erat audax,

Sui obtegens, in alios Criminator.

Palam compositus Pudor,

Intus Luxuria & Nequitia.

Paterna ejus hæreditas non erat exigua;

Non autem tanta

ut

vel libidinem ejus expleret,

A iij

vel

vel luxui sufficeret.
Mercaturam exercebat

Aromatibus:

sed inter illa omnia

NE MICA SALIS!

Hinc

Commercia, Divitiæ, Facultates
quiescebant, peribant, diffuebant;

& de salute illius

conclamatum erat.

Hanc Calamitatem ut effugeret

Novis rebus studebat;

& cum Virtute non poterat

scelere nitēbatur,

cum

Contra Patriam

nefanda meditaretur,

ut salutem suam,

Quam Florente Civitate perdiderat

Pereunte ea repeteret.

Hinc

JASTRAMO,

Homini ad fucos faciendos nato,

facile erat,

illum in societatem sceleris adsciscere,

Cum Rebellionem

illi, sub specie

Patrocinii Libertatis,

depingeret,

Quare

illo suadente,

& paupertate stimulante

utrique

utrique
summa imis, ima summis
perperam miscebant.

Dic mihi autem,

VIATOR,

Snitqueri Mercatura

nonne Jactura erat?

Vanitatem à malis creditoribus accepit,

Spem inanem carè emit,

Ætatem nihilo vendidit,

Vitam misere perdidit:

quid hinc

nisi maxumum

BANCOROTTO!

III.

MEURERUS ABDI- CAT SE CONSULATUI.

* * *

Virtutibus regnantibus, Boni imperant;
Vitiis Tyrannidem exercentibus, Boni serviunt,
Premuntur, si non opprimuntur.

Primus autem,
in quem vitiosorum nostrorum
Iræ vertebantur,

erat primus in Urbe

INCLYTUS MEURERUS,

Civitatis Caput,

Reipublicæ Dextra

Imo

Imò
tota Anima.

Hic,

Quòd melior Vir erat

quàm pessimis hominibus expediret,

Curiâ per ostracismum ejectus est;

Cum tamen hi, qui testulas scribebant,

MEURERUM non nisi ex vestitu noscerent:

Proletarii enim erant ex facie Plebis,

Persuasi interea

JASTRAMUM atque SNITQUERUM
MORTEM CONSULIS MARSUPIO

gerere;

fordidum verò Archivum

cujus Documenta mendacia,

Archivarius nebulo erat.

Nihilo minus

alter hic THEMISTOCLES

ab ignotis,

ob notam omnibus justitiam,

ejiciebatur.

En scelus!

MAGISTRATUS PERSONA

accusatur à subditis,

& capita accusationis ignorantur;

damnatur à Civibus,

& Rationes sententiæ tacentur:

Exauctoratur á Plebejis,

& Crimina nulla recensentur.

Scilicet,

INCONDITUS CLAMOR, seducti Vulgi,

PRO RATIONE ERAT:

Factum

Factum

quale nec Antiquitas vidit
& ægre credent Posteris :

Quid autem MEURERUS interea !

Constans erat, & Versatilis;

Fortis & Timidus,

Magnus & Parvus,

Certus & Dubius :

nempe,

Constans erat Animo, Versatilis Ingenio; (dendo;

Fortis nil exhorrescendo, Timidus & tremens diffi-

Magnus bonis, quorum Judicio honores merebatur;

Parvus malis, quorum insidiis iis privabatur;

Certus in sua Innocentia, Dubius de

aliorum Fallaciis :

Hinc

Animo summo,

Ingenio maximo,

Exiit Nomen Consulis

ut indueret Nomen Viri prudentis;

Eligebat esse privatus.

ut satisfaceret tot privatis,

Imò,

eo prolapsi sunt

EBELLES,

ut

Juramentum iniquissimum,

de non recedendo,

& de se non vindicando,

vel potius

de se non purgando,

Abdicanti extorserint,

B

quod

quod tamen servare
nec bonum nec opus duxit
MEURERUS,
optime ratus
JURAMENTA
NON ESSE VINCULA INIQUITATIS.

Inde,
cum se violentiæ Vulgi subduceret,
Rabiem insanorum experiebatur ejus
Familia:
& Procella quæ stipitem non tangebat,
turbabat ramos;

sed
Frustra Nodum in scirpo,
Culpam in innocentibus,
Vesana plebs
Quærebat:
ideo

Indignabantur Clanculum
quòd non licebat apertè indignari;
Insaniebant ferè, iis non licere
cum ratione insanire;
& ringebantur, infanda Poenarum Occasione
non esse Poenæ meritum.

TU VIATOR,
disce

E duobus Malis
Minimum eligere,
si

Violentia insanæ plebis
ante Justitiam emerferit!

IV.

SLÜTERUS
ELECTUS.

* *
*

Augusto defuncto Tyberius succedit;
Meurero abdicato, Sluterus subvehitur:

uterque surrogatorum

Pari Fortuna, Pari Ingenio,

Pari Exitu.

Intravit enim ut Vulpes,

Simulando & Dissimulando,

Regnavit ut Leo,

Damnando & Trucidando;

Moriturus ut Canis!

De cætero

SLVTERUS ad MEURERUM
est

Scarabæus ad Aquilam.

Hoc unico

tamen ille versutior fuit,

quod TEMPORI INSERVIRE sciret:

Rebellantibus enim se junxit;

â quibus etiam

CONSUL DENUNCIABATUR,

ut magis illis

quam Civitati consuleret:

In quo Officio

Callidus erat, sed in perniciem Civitatis;

B 2

Assiduus

Assiduus erat, sed ut everteret bonos;
 Taciturnus erat, sed ut celaret pericula Reipublicæ.
 Nequitia seditiosorum pontem substernebat

DEPONTANUS SENEX;

& eadem cum jis Navi vehebatur,
 qui alterum Pedem jam in Cymba
 Charontis habebat.

Tu autem judica,

VIATOR,

quid Hominem ad tantam impulerit Nequitiam!

Satis vixerat

Annis, Climactericum enim magnum transcenderat,
 Dignitati, Consul enim Liberae Reipublicæ erat,
 Suis, quos Opibus, Honoribus, Divitiis auxerat.

Fallor

an senties mecum!

Nondum satis vixerat

VINDICTÆ DIVINÆ;

Sanguis enim RICKMAYERI,

cujus culpam

in SE, suumque Sanguinem,

crudeliter vocaverat,

De Terra clamabat!

Hinc

Spiritus DEI illum non ducebat

Quem seduxerat Spiritus vertiginis;

nec Manus Altissimi custodiebat,

Qui in Manus Diaboli incidere

Ah!

Quam lento, sed quam certissimo,

gradu

ad VINDICTAM

Divina procedit Ira!

V. COL.

V.
COLLEGIUM XXX.
VIRORUM.

* *
* *

Cancer Corpus exedit,
ni mature subvenias;
Seditio Rempublicam consumit,
ni tempestive occurras.

Quare

Negotiis Hamburgensium turbulentis
& **IMPERATOR AUGUSTUS**

&

PRINCEPS LUNEBURGENSIS.

fese interponebant,

Alter ne Subdidi,
Alter ne vicini perirent;

uterque

ne Imperium Romano-Germanicum
detrimentum caperet;

sed

opponere sese

REBELLES,

&

agonizanti Civitati

obtrudebant

TRIGINTA MEDICOS,

Qui

in vulnera cognoscerent.

B 3

Miseram

Miseram verò Rempublicam,
 quæ magis multitudine medentium
 quam gravitate vulnerum laborabat!
 Hi autem duplicis erant generis:

quidam
 ex Arimathia erant,
 nam Consiliis Malorum non intererant;
 Paucis atque Pessimis
 Totum negotium inter se dividantibus.

Hæc erat illa unio,
 Quæ unionem omnem dirimebat.
 Hi erant Libertatis Assertores,
 Qui Libertati insidiabantur.

Erat inter illos
DAVID CROLOVIUS,
 Prudentiæ Pullus,
 Artium Lactarius,
 Infanientis Sapientiæ
 Prægrande depositum,
 Erat ille

Inter Eruditos nobilis,
 Quòd febriculosa sua Eruditione
 Mirum in modum abuteretur;
 Peritus Dicendi,
 Facundus Eloquio.

Quoties pro Salute Compli'm
 vel calumniandum vel mentiendum erat,
 Optinebat semper quod volebat:
 quod loquendo enim non poterat,
 latrando assequeretur.

Humilitati tamen mirum in modum deditus erat:
 Eum enim, qui illum salutaverat

DOCTO.

DOCTOREM,
accusabat Injuriarum,
imo

in Vincula conjici curabat,

Convictus,

NIL SUS MARGARITAS.

Nihilo minus tamen

Imperfecta sua Doctrina

Præcipitavit cum

in perfectam ignominiam.

Minus enim fortè erravisset,

si minus didicisset;

vel potius,

magis fortè insaniret etiam,

si magis esset eruditus.

Socium hic habuit

Miserum Socium

CASPARUM BOKELMANNUM,

Olitorem,

qui

inter humiles herbas

altiores spiritus gerebat

quam quondam Cooperarius suus, Abdolonymus;

ratus,

se non interdum, sed semper opportuna loqui:

hinc crebro

extra oleas vagabatur & redibat ad olera;

in Curia

nil spumabat nisi ferrum, bellum, aciem;

prostraturus omnes Hostes,

ut quondam Virgiliana Thestylis,

Allia serpillumque herbas contudit olentes;

Homo

Homo

in tantum professionis suæ oblitus,
ut ne recordaretur unquam
sæpius parturivisse montes,
& semper ridiculum inde natum murem esse,
quod tota die in horro suo didicerat;
in hoc uno dolendus
quod helleborum
vel non plantaverat
vel non adhibuerat.

Sed

Cyntheus aurem vellit,
& plura meditati illud reclamat:

Sat est,

UNUM SI NOVERIS OMNES NOVERIS!

Hi interea **TRIGINTA VIRI**

Senatus auctoritatem pedibus conculcare,
Negotia Fisci ad se trahere,
Cuncta pro lubitu gerere;

Et hæc omnia sub prætextu

CORRESPONDENTIÆ secretæ,

Scilicet

Merito hæc secretò fiebant,
quæ apertè Crimina etant!

Nihilominus tamen

Nunquam magis

Libertas Civium,

Collegia Opificum,

Salus omnium,

Florere videbantur;

sed **VIDEBANTUR:**

Multa namque non erant quæ dicebantur,

Erant

Erant quæ non dicebantur.
Omnes enim Boni Malorum
& Nomen & Præmia accipiebant.

atque

ex Curiâ, Collegiis, Civitate ejiciebantur;
Reliqui, quibus nihil nisi beneficium
ordinis reliquum,

ne hiscere quidem audebant,

sed inter spem metumque

precarium trahebant Spiritum.

Sybaritarum Civitatem Hamburgum credidisses,
in cujus portis Lemma legebatur:

NEMO NOSTRUM FRUGI ESTO!

Consilia illorum secretissima,

in Jastrami atque Snitquei ædibus formabantur:

Ibi in intimis penetralibus abditi

intime colloquebantur,

atque vim Ingeniorum

herbâ Nicotianâ provocabant;

sinistro augurio,

in fumos abiturum quicquid concluderent;

nec deerat generosissimi vini Copia

quæ generosos impetus daret;

& judicandi calorem Vino calentes sperabant.

Omnino hoc certum est,

sine Libero quidem Venerem,

non itidem Palladem frigere!

Penes Te autem,

VIATOR,

Judicium esto,

An in hoc Sycophantarum Collegio verum fuerit:

In Vino veritas?

☉

SNIT.

VI.

SNITQUERUS
CAPTUS.

* *

*

Hæc mala Hamburgensium,
quæ suos non movebant,
exteros commovebant,

præptimis

MAGNUM LEOPOLDUM,

semper Augustum, pium
fortem, felicem :

Hic

turbis remedium quæsiturus,
turbatores citabat,

ut

sibi Rationem, Meurero Bona,

Civitati Quietem redderent.

Delegabantur ad hoc negotium

SERENISSIMI PRINCIPES LUNEBURG.

qui,

sive Circuli Saxonici nexum,

sive vicinitatem spectes,

huic Operi maxime habiles erant.

Hi autem,

cum quotidie aspicerent Imperatotis auctoritatem

parvum suspici,

& citationibus Sanctis proterviam excitari,

Morbum desperatum

desperatis remediis tollere concludebant:

vi

Vi armata

hos abducturi, qui populum hactenus seduxerant;

Morem parentum imitando,

qui stolidis infantibus

noxia arma extorquent,

quæ in perniciem suam pertinaciter retinent.

Capiebatur itaque

SNITQUERUS,

cum ad hortum suum tenderet,

cuticulam magis, quam Salutem publicam curatu-

Sed ô Spes fallaces!

Factum,

quod turbas sedare debuerat, augebat eas;

Conturbabantur Hammopolitani,

sollicitudinibus innumerabilibus.

Aureum vellus credidisses raptum,

vel Palladium abductum:

Omnes etenim ex æquo

clamabant, cursitabant, fremebant;

& missi milites, qui **SNITQUERUM** reducerent.

Nolebant adhuc Fata huic Rei dare exitum,

& invidebant Justitiæ Luneburgicæ

Invisum omnibus bonis Caput.

Nondum enim debebat puniri,

qui nondum maturus ad poenam erat.

Deprehendebantur itaque capientes, & ab insectante

Milite

Victi & Vinciebantur:

sic reducebatur Populo,

Seductor Populi,

ecce jam

poma Citrea in illum conjicientis

C 2

qui

qui lapides meruerat ;
& ne quid stoliditati deesset ,
Alexandri & Hannibalis inelyta Nomina
fordidis dabantur proditoribus ,
qui
vel Fetmilchij Francofurtensis ,
vel Gulichij Coloniensis ,
meruerant Titulos ;
nisi fortè eos his Nominibus insignitos velis ,
quòd uterque
Alexandrum furore , cum Persepolim accenderet ,
Hannibalem in Civitates Liberas odio , cum Romam
infestaret , vel æquaverit vel vicerit .
Miseri interea Raptores ,
in carcerem rapiabantur ;
Poenas daturi facinoris vel malè coepti ,
vel segniter consummati .
Perebatur à Senatu sententia capitalis ,
Non ut fontes plecterentur ,
sed
ut plebs placaretur ;
Consule SCHLUTERO
&
Breviculum scribente ,
&
Periculum Sanguinis in se suumque
Sanguinem recipiente .
Imo
& miser RIKMEYERUS ,
ob nudam conscientiam facti ,
& Torturam & Mortem expertus :
non aliter , ac si ille

Crimen

Crimen laesæ Majestatis commisisset,
qui in Snitquerum peccasset;

Ubi etiam taciturnitas Capitalis,
& Amicitia integerrima Virtuti inimica!

TU VIATOR

Cogitabis forte,

Multa Supplicia & multa Funera
æque imperantibus & patientibus
turpia esse;

Nec tanti fuisse vitam unius,

ut,

ne ille juste periret,

Novem inique perdendi,

fuerint!

VII.

BELLUM LUNE- BURGICUM.

* *

*

Dabat hæc Clades
Ansam multis Cladibus,

&

Sanguini trucidatorum
multo Sanguine parentatum est.

SERENISSIMI ENIM DUCES

LUNEBURGICI

Terras Hamburgensium Milite lectissimo
intrabant!

C 3

Non

non bellum moturi,
sed pacis monituri,
& metu armorum quietem extorsuri
nolentibus.

Verum aliter id interpretabatur

S. P. Q. H.

seducti à suis Triginta VIRIS
qui
in Irrequietis Quietem,
in Bello Salutem,
in aliorum interitu Occasionem dominandi
quærebant.

Hinc collidebantur,
ut frangerentur:

Milites enim in prælia tredebantur
magis, quam ruebant,

&

adversus stimulum calcitrare
juebatur;

Aurei siquidem armati,
ferreis armatis æquiparabantur.

Mille Ducatis

Mille Scutati veniebant;
quasi nihil referret,

an Armatum Hominem,
an Militem in aciem duxeris.

Moriendum erat stantibus,

Moriendum retrocedentibus. (Mancken)

Hoc solum intererat,
novissimum Spiritum

an per Ludibrium & Contumelias,
an per Virtutem effunderent,

Illud

Illud autem,
non ut servarentur pauci,
sed ut perirent omnes;

& sic

Peregrinus Miles in præsidia Civitatis,
Lupus ad defensionem Ovium vocaretur.

dum hæc ferebantur;

SERENISSIMI PRINCIPES LUNEBUGICI

Armabant illos, in quos debuissent

Armari:

&

de utriusque partis clade solliciti erant;

sive illic spectarent vulnera suorum,

sive illic funera seductorum.

Inde

cedebant iis, quos cædere potuissent,

non alio infortunati ex capite,

quam quod per insaniam Vesanorum

non poterant

aut turbas componere,

aut saltem Hostes mutare.

Crede interea

VIA TOR,

Non semper timere hos, qui retrocedunt,

nec semper fortes illos, qui insectantur:

Nam

Bellum æque ac Eleusis, semper aliqua

servat redeuntibus.



G.K. 408,8.
403.

EXI
NO
CO
JA
HIE
SN



1903356



Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

White 3/Color
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Inches
Centimetres

